viribus relicta nullam habet activitatem immediatam in actum ſupernaturalem charitatis, ſed ei tota virtus agendi eſt principium ſupernaturale ſibi inhærens; ergò ſecluſo hoc principio inhærenti, repugnat voluntatem noſtram elicere actum voluntatis ſupernaturalem; Minor probatur, quia voluntas eſt ordinis naturalis, actus verò ſupernaturalis; in potentia autem naturali ſine principio inhærenti ſupernaturali non eſt virtus, aut vis, ut ab illa oriatur actus ſupernaturalis; ergò implicat actum ſupernaturalem oriri à voluntate creata abſque principio ſupernaturali inhærente.

562 Oppoſita ſententia docet, divina virtute non implicare actum charitatis Theologicæ (& idem eſt de quolibet alio ſupernaturali) fieri à voluntate creata ſine habitu, aut ullo auxilio intrinſeco per ſolam elevationem extrinſecam voluntatis per divinam omnipotentiam; quam ſententiam docuit Scotus 3. *diſt.* 14. *q.* 2. *art.* 2. loquens de concurſu luminis gloriæ ad viſionem, & 4. *diſt.* 49. *q.* 11 loquens univerſaliter de omnibus actibus ſupernaturalibus, & cum eo tenent, nedum Scotiſtæ omnes, ſed etiam univerſa Schola Societatis JESV, quam nos quoque latè propugnavimus *lib.* 1. *diſp.* 6 *de Viſione beata qu.* 5. ubi oſtendimus falſitatem fundamenti contrariæ ſententiæ, quia voluntas creata habet immediatum influxum & activitatem in actum charitatis, ſicut in alios actus ſupernaturales; & quicunque habitus ſupernaturalis ad actum ſupernaturalem concurrit ſolum, ut principium effectivum, & in genere cauſæ efficientis; quicquid autem poteſt Deus per cauſam efficientem mediam, poteſt etiam immediatè, & ſe ſolo, eſt enim commune Theologorum axioma, quod Deus poteſt ſupplere cauſalitatem cuiuslibet efficientis cauſæ creatæ, præſertim, quæ non ſit potentia vitalis; ergò poteſt Deus efficacitatem talis habitus, ſeù auxilii intrinſecè inhærentis ſupplere per concurſum ſpecialem extrinſecum; Maior in qua eſt tota difficultas, oſtenditur ex vitalitate actus ſupernaturalis, & ratione voluntarii, & liberi, quia actus charitatis non ſolùm eſt ſupernaturalis, ſed etiam vitalis, voluntarius, & liber, ac proinde principium immediatum illius debet eſſe non ſolùm ſupernaturale, ſed etiam vitale, & liberum, at habitus ſupernaturalis, vel quodcumque auxilium intrinſecè inhærens non eſt ex ſe principium vitale, & liberum, ſed ſola voluntas; ergò principium immediatum actus charitatis Theologicæ non ſolùm eſt habitus ſupernaturalis, aut qualitas intrinſeca, ſed etiam potentia vitalis, & libera Minor de ſe patet, & fusè probatur *diſputat.* 6. *de Viſione q.* 5. *cit.* ad quem locum me remitto pro exacta huius difficultatis intelligentia.

## QUÆSTIO VIGESIMASECVNDA.

*An ſolus Deus ſit ex charitate diligendus, vel etiam proximus; & quomodo.*

563 PRæter Deum etiam proximum ad obiectum charitatis ſpectare conſtat ex verbis 1. Ioan 4. *ſi diligamus invicem charitas Dei in nobis perfecta eſt*; hinc Scotus in 3. *diſt.* 28. *quæſt. un.* ſupponens proximum ex charitate diligendum ob divinum præceptum ex eodem Io. teſtimonio, ibidem *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligit, & fratrem ſuum* altius hanc veritatem catholicam manifeſtare ſtudens inquirit, an eodem habitu infuſæ charitatis ſit diligendus proximus, quo diligitur Deus; quæ difficultas ſub aliis verbis à Recentioribus proponi ſolet; An idem ſit motivum charitatis Dei, & proximi. In qua quæſtione prima ſententia negat, docetque motivum charitatis Dei, ſeù qua diligitur Deus eſſe ipſam increatam bonitatem Dei; motivum verò charitatis, quo proximus amore amicitiæ diligitur, eſſe bonitatem ipſam ſupernaturalem creatam proximi; Duobus enim modis, inquit, poteſt proximus honeſtè diligi, primo propter ſolam Dei bonitatem, ideſt, ex deſiderio divini boni, quia bonum collatum in proximum quodammodo eſt bonum Dei ex verbis Chriſti Matth. 25. *quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*; atque hæc dilectio manifeſtè pertinet ad theologicam virtutem Charitatis. Alio modo poteſt diligi proximus vel propter naturam, quam habet noſtræ ſimilem, vel propter motum ſanctitatem; in qua dilectione quoniam formale obiectum longè differt à formali obiecto charitatis, aſſerit illam non eſſe actum elicitum theologicæ virtutis, ſed alterius inferioris. Ità Vaſquez, Turrianus, Caſpenſis, Coninchius, Arriaga, & alii Recentiores pro ſe citantes D. Thomam, D. Bonaventuram, Ricardum, Durandum, & alios antiquiores.

564 Secunda ſententia affirmat unum eſſe motivum formale charitatis Dei, & proximi, ſcilicet, bonitatem increatam Dei unumque tantum habitum charitatis admittit, qui ſimul tendit in Deum, & proximum, unamq; rationem terminantem utrúque actum, quæ eſt ipſa bonitas divina; ità Scotus 3. *diſt.* 28. *q. unic.* cum omnibus Scotiſtis, quam ſententiam egregiè iuxtà Scoti principia inter Cæteros Recentiores propugnat Amicus *diſp.* 28. *ſect.* 3. oſtendens eſſe D. Thomæ, D. Bonaventuræ, Durandi, & Ricardi, & citat. Valentiam, Suarez, Malderum Silvium, & alios Recentiores, quod etiam in præſenti tuentur Lorça, & Tannerus,

## ARTICULUS PRIMUS.

*Deciditur Quæſtio.*

DIcendum eſt cum hac ſecunda ſententia, unum eſſe obiectum formale, & principale charitatis, qua Deus diligitur, & proximus, nempè bonitatem Dei increatam, qua in ſeipſo bonus eſt, atque beatus; accipiendo bonitatem, non ut ſpeciale Dei attributum à cæteris condiſtinctum, ſed plenitudo omnium perfectionum, nõ quovis modo in Deo exiſtens ſed quatenus illum conſtituit in perfectiſſimo actu ſummæ beatitudinis, ac fælicitatis. Concluſio eſt Scoti *loc. cit.* quæ in primis fundatur in Patrum auctoritate, qui unicam tantum agnoſcunt charitatem quæ ad Deum ſimul, & proximum ſe extendit, id deducentes ex teſtimonio Apoſtoli 1. Ad Corinth. 13. ubi eodem modo loquitur de Charitate, ac de Fide, & Spe, ſed tam fides, quàm Spes eſt una virtus ab uno, formali motivo ſpecificata; ergò pariter una erit charitas ab uno etiam motivo formali increatæ bonitatis ſpecificata. Ità Auguſtinus lib. 8. de Trinit. cap. 8. aſſerens ex una, eademque charitate diligi, Deum, nos, & proximos noſtros propter Deum; & ſerm. de Dominica poſt Aſcenſionem, *non alia charitas diligit proximum, quam illa, quæ diligit Deum* Gregorius homil. 27. in Evang. charitatem Dei, & proximi comparans radici ait *ex qua una multæ virtutes generantur, ſicut ex una radice multi arboris rami prodeunt* Bernar. ſer. de Cæna Domini ad finem *Charitas eſt dilectio Dei, & proximi* Beda explicans verba ad Roman. 5. Duo ſunt præcepta charitatis; & *una charitas, quia non alia charitate Deum diligimus, & proximum*, & ſic paſſim loquuntur alii Patres; non poteſt autem eſſe una charitas, qua Deum diligimus, & proximum, niſi propter unam rationem formalem obiecti, cum unitas habitus; & virtutis deſumatur ex unitate obiecti formalis; hæc autem alia eſſe non poteſt, quàm bonitas increata. 565

566 Reſp. Adverſarii, bifariam poſſe proximum diligi uno modo propter Deũ, quo pacto diligitur amore concupiſcentiæ quia ſic amatur ex deſiderio divini boni, quatenus bonum collatum in proximum quodammodo eſt bonum Deo; & hoc modo amatur proximus propter eandem bonitatem increatam Dei, ex cuius complacentia diligitur proximus, ut bonum ipſius Dei, & in hoc ſenſu dicunt Patres ex una, & eadem charitate diligi Deum, & proximum, & hanc dilectionem aiunt ad virtutem Theologicam charitatis pertinere. Alio modo poteſt diligi proximus amore amicitiæ ex complacentia ipſius proximi; quo pacto ratio formalis diligendi proximum non poteſt eſſe bonitas increata Dei, ſed creata proximi, & hanc dilectionem dicunt non eſſe actum Thologicæ virtutis, ſed alterius inferioris, de qua Patres non loquuntur; Vndè duplicem agnoſcit prima ſententia habitum infuſæ charitatis; unum Theologicum ſpecificatum à bonitate, increata; qua diligitur Deus propter ſe, & proximus propter Deum; de quo ſolo locuti ſunt Patres; Alterum moralem adhuc infuſum, & ſupernaturalem, quo diligitur proximus propter ipſius bonitatem ſupernaturalem participatam.

Sed Contrà, quia in primis hoc eſt facere Recentiores oculatiores Patribus, qui unicam tantùm agnoſcunt charitatem, quæ ad Deum ſimul, & proximum extenditur, & de hac ſola perpetuò loquuntur, nec aliam virtutem Charitatis moralem infuſam unquam memorarunt, qua diligatur proximus ob ſolam ſui ipſius bonitatem ſupernaturalem participatam; imò disertè docuerunt non poſſe proximum verè diligi ex virtute charitatis ſine Deo, undè Anſelmus ad Rom. 13. explicans illa verba *qui diligit proximũ legẽ implevit* ità loquitur *nam nec verè proximum ſine Deo, nec verè Deũ ſine proximo poteſt diligere*, quia nimirum hæc duo ità ſunt in una ratione formali reſpectu unius, eiuſdemque charitatis habitus inter ſe connexa, ut unum ſine altero eſſe nequeat; ſi verò per charitatem moralem infuſam, quam Adverſarii aſſignant præter Theologicam, poteſt proximus amari ex ſola complacentia ſui, qui proximum hoc modo diligit legem non implevit, quia duo ſunt præcepta charitatis diligendi, ſcilicet, Deum, & proximum. Præterea iuxtà hanc doctrinam dilectio proximi nunquam pertineret ad Theologicam virtutem charitatis, nam dilectio proximi ſecundo modo, nempè ex ſola complacentia ſui, & propriæ bonitatis, jam non eſt actus virtus Theologicæ, ſed moralis infuſæ, ut ipſi docent, quia motivum ipſius non eſt bonitas increata Dei, ſed creata proximi; at neque dilectio primo modo, quando nimirum diligitur proximus propter Deum, & ob eius increatam bonitatem non eſt, inquam, hæc



hæc dilectio actus Theologicæ virtutis; quia hoc modo proximus non diligitur amore amicitiæ, ſed ſolius concupiſcentiæ, ut ipſi docent, quia diligitur ex deſiderio divini boni, quatenus bonum collatum in proximum quodammodo eſt bonum Deo; at amor charitatis eſt amor amicitiæ, ut omnes fatentur; quando ergò charitas diligit proximum, non ex complacentia ipſius, ſed Dei, non erit amicitia proximi, ſed Dei; ergò dilectio proximi, ſivè primò, ſivè ſecundò modo ad Theologicam charitatis virtutem nunquam ſpectabit.

568 Deindè probatur ratione Scoti, quod dilectio proximi, ſivè primo, ſivè ſecundo modo fiat, ad virtutem Theologicam charitatis pertineat, & idem motiuum formale, & ſpecificatiuum habeat; quia idem obiectum ſpecificat actum directum, & reflexum, etiamſi ad directum immediatè, & directè concurrat, ad reflexum verò mediatè ſolùm, & indirectè, & ratio eſt, quia ſemper principale ſpecificatiuum eſt id, quod principaliter intenditur, ſivè directè, & immediatè, ſivè indirectè, & mediatè ad actum concurrat; Sed quod in actu charitatis ergà proximum principaliter intenditur eſt bonitas increata Dei, ſive primò, ſive etiam ſecundo modo diligatur; ergò ſemper ab illa ſumitur principalis, & ultimata ſpecificatio, ab illo enim actus principaliter ſpecificatur, propterquod principaliter eſt, & principaliter intenditur; Maior patet, quia quod principaliter intenditur principaliter movet, Et influit in ipſam ſpeciem actus Minor in actu dilectionis proximi primo modo ſatis de ſe liquet, quia tunc quod unice movet ad talem actum eſt ſola bonitas Dei increata de actu verò dilectionis ſecundo modo probatur, quia tunc licet charitas directè, & immediate moveat ad diligendum proximum propter intrinſecam ipſius bonitatem; non tamen mouet propter illam abſolutè, ſed reſpectivè, ut nimirum ſingularis eſt participatio bonitatis increatæ; ergò etiam in illo ſecundo dilectionis modo, licet mediatè, & indirectè, ſive terminativè, & in obliquo moueat ad illum actum bonitas ipſa increata Dei; adhuc tamen principaliter movet, quamvis enim immediate, & directe moveat ipſa ſupernaturalis bonitas participata proximi, non tamen ſine reſpectu ad bonitatem participatam Dei, eo quod non moveat ad amandum, proximum, niſi ut peculiaris ſimilitudo, & participatio bonitatis divinæ. Ergò utriuſque dilectionis formale, & ultimatum obiectum ſpecificatiuum eſt bonitas creata Dei, vel in recto, & immediatè, ut in primo dilectionis modo, vel in obliquo, & mediatè, ut in ſecundo; ac proindè utraque dilectio elici poteſt ab eodem habitu charitatis, ut concludit Doctor *loc. cit.*

569 Et hoc idem docet D. Bonaventura 3. *diſtinct.* 9. *art. & qu. ult.* ubi ità ſcribit; Ad illud, quod obiicitur, quod eadem charitate diliguntur omnia diligibilia, dicendum, quod hoc eſt, quia charitas habet unum obiectum principale, ſcilicet, ſummum bonum, quod quidem amat, ſivè diligendo Deum in ſe, ſive optando bonum proximo. Vnde falluntur Adverſarii aſſignantes ſecundum modum dilectionis proximi, per quam diligatur ex ſola complacentia ſui, & propter eius bonitatem participatam abſque ullo prorſus reſpectu ad bonitatem Dei increatam cuius eſt participatio; falluntur, inquam quia licet aliquo actu charitatis poſſit diligi Deus, quo non diligatur proximus; tamen nullo actu charitatis poteſt diligi proximus, quo non diligitur Deus; quia ut ait Anſelmus *loc. c.* verè proximum ex virtute charitatis diligere non poſſumus ſine quod expreſſe deducitur ex illis verbis ad Rom. 13 *qui diligit proximum legem implevit*, quæ verba non verificarentur; ſi ex charitate poſſemus aliquo modo proximum diligere ſine Deo, quia duo ſunt charitatis præcepta, diligendi, ſcilicet, Deum & proximum; quarè ſi poſſet dari dilectio proximi ex charitate ſine dilectione Dei, non eo ipſo, quod proximus diligeretur, lex impleretur, ſiquidem ex vi talis dilectionis Deus non diligeretur, cum nullo modo eſſet obiectum illius. Conf cum Amico quia charitas eſt habitus perfectiſſimæ dilectionis tendens in obiectum iuxtà perfectionem, bonitatem & exigentiam obiecti diligibilis. Atqui nulla creatura eſt bona, niſi bonitate participata à bonitate increata Dei; ergò nulla eſt ex charitate diligibilis; Atqui nulla creatura eſt bona, niſi bonitate participata à bonitate increata Dei, ergò nulla eſt ex charitate diligibilis, niſi ultimatè propter increatam Dei bonitatem; undè charitas ipſa increata Dei, cuius participatio eſt charitas creata noſtra, nullam creaturam diligit, niſi ultimatè propter ſeipſum.

570 Ex his deducitur, ab eodem motivo ſpecificari actum charitatis ergà Deum, & ergà proximum, ac proinde unum eſſe habitum charitatis extendentem ſe ad Deum, & ad proximum quod probat Doctor, quia quarum dilectionum eſt unum obiectum per ſe primum, earum eſt unus per ſe habitus, ſed dilectionum ordinatarum ex charitate eſt unum obiectum per ſe primum, ſcilicet, Deus bonum commune, quod ordinate diligitur in ſe, & eſt bonum privatum proximi a nobis ultimate diligendum propter Deum, alioquin ordinatè non amaretur ſic amãdo ſiſteremus in proximo; ergò eodẽ habitu diligitur Deus propter ſe, & proximus propter Deum. Conf. quia idem eſt habitus, ſicut eſt idem motivum principale, actus recti, & actus reflexi in idem motivum; ſed actus rectus charitatis eſt diligere Deum propter ſe, actus reflexus eſt diligere proximum propter Deum, quia licet ratio directè, & immediatè amandi proximum ſit ipſa bonitas ſupernaturalis participata proximi, non tamen ſine reſpectu ad bonitatem imparticipatam Dei; ergò amare Deum & amare proximum, ut diligat Deum, ſive amare proximo ipſum diligere ergà Deum, ſpectant ad unum, & eundẽ habitum. Undè Suarez diſp. 1. ſect. 3. licet oppoſitam ſententiam non iudicet improbabilem, tamen verius cenſet omnem modum dilectionis proximi ad unam virtutem Charitatis pertinere, quia in Sacra Scriptura, & Patribus inauditus eſt alius amor infuſus Dei, & proximi, ut conſtat ex locis iam citatis.

Hic autem advertendum eſt cum Amico, quod quando hic aſſerimus, bonitatem ſupernaturalem proximi per habitum charitatis non diligi niſi per dependentiam à bonitate increata Dei, cuius eſt participatio, ſermo eſt de habitu charitatis, quem de facto Deus iuſtis infundit, & qui de facto datur; quoniam abſolutè loquendo fortè non repugnat vi alterius habitus proximum diligi propter ſupernaturalem bonitatem in ſe participatam abſque formali dependentia à bonitate increata Dei: ſicut Sancti honorantur cultu Duliæ propter ſuam propriam ſanctitatem, & excellentiam independenter à ſanctitate Dei; tanquam à cauſa formaliter minativa. Ratio autem, cur ità de facto res ſe habeat, eſt, quia vi præſentis habitus, qui de facto datur, omnia dona ſupernaturalia, quæ amore charitatis proximo amamus, amamus in ordine ad ſupernaturalem beatitudinem, quę expreſſe, & immediatè ipſum Deum includit, ut obiectum beatificum; igitur charitas quæ de facto non ſolum inclinat ad amandam proximo beatitudinem, ut bonum ipſius, & ſed etiam propter Deum, tanquam propter principale obiectum, terminatur ad Deum in ipſa beatitudine incluſum, non ſolùm ut bonum proximi, ſed etiam propter ipſum Deum. Quod autem implicita terminatio principalis motivi ſufficiat ad ſpecificandum actum, probat idem Amicus cum Scoto *diſt.* 28. ex natura actus reflexi, qui ſpecificatur ab obiecto actus recti, tanquam à principali motivo, cum tamen illud non niſi implicitè terminet actum reflexum, qui explicitè tantùm terminatur ad actum directum. Quamvis igitur abſolutè loquendo dari poſſit una virtus charitatis, quæ ſolùm Deum amet propter ſe; altera verò, quæ ſolum proximum; habitus tamen charitatis, qui de facto datur, ad utriuſque amorem inclinat, adeo ut amor Dei, & proximi ad unam, & eandem virtutem pertineat, ità enim loquuntur Scriptura, & Patres loquentes de habitu charitatis, qui de facto datur, ut conſtat ex locis citatis. 571

Reſpondet tamen ad hoc Arriaga in Scriptura, & Patribus ſolùm doceri; amorem Dei habere quaſi connexum ſibi amorem proximi, ſivè proximus in amore ſit obiectum formale, ſivè materiale; de quo nec Scriptura, nec Patres ullo modo curarunt; dummodò ego enim proximo bene faciam, ipſumque amem, licet habeam pro motivo ſolùm Deum, Scriptura, & Patres erunt contentiſſimi, nec aliquid aliud requirent; hic enim amor quoad effectum tantus eſt, quantus ſi propter ſe amaretur proximus; quantum verò ad perfectionem entitativam nobilior multò eſt quam ſi proximus amaretur propter ſe, eſſet que hic amor amicitiæ ergà proximum. Verùm, ut conſtat ex locis iam citatis, Scriptura, & Patres aliquid amplius prætendunt, non enim ſolùm dicunt amorem Dei habere quaſi connexum amorem proximi, ſed utrunque amorem ex eadem radice, & motivo oriri, & ab eodem habitu produci, ſic enim loquuntur expreſſe Auguſtinus, Gregorius, Beda, & alii; & Paulus ad Rom. 13. inquit; quod *qui diligit proximum legem implevit*, at qui amaret proximum propter ſe ſolùm abſque ulteriori tendentia in Deum, ut in ultimum finem ſupernaturalem legem non impleret, quæ ſimul præcipit dilectionem Dei, & proximi. 572

Reſpondet proindè ſecundo, quod licet de amore proximi propter ipſum ſermo eſſet in iis locis, non tamen inde inferri habitum inclinantem ad amorem Dei, & proximi eſſe unum indiviſibilem, tùm quia in Scriptura de habitibus parum docetur, tum quia in præſenti materia ſolùm denotatur connexio eorum amorum, & ſi vis, etiam habituum, hæc autẽ conexio optimè ſaluatur cum diſtinctione eorum inter ſe, nam habitus charitatis ergà Deum nunquam eſt, niſi cum habitu ſupernaturali infuſo ergà proximum, & è converſo. Neque quia Scriptura dicit. *Qui diligit Deum, diligit, & proximum* licet inferre ab eodem modo habitu utrumque actum provenire nam eodem modo deberet inferri, nullum alium habitum ſupernaturalem eſſe à charitate diſtinctum, nam qui diligit Deum caſtus eſt, juſtus eſt, patiens eſt, ergò iuxtà eum modum diſcurrendi omnes hos habitus ad ſolùm unicum Charitatis deberemus reducere. 573

Sed hæc quoque evaſio præcluditur ex proximè dictis, quia Patres non tantum dicunt amorem Dei,& proximi eſſe connexos ſed eadem charitate, qua proximus amatur amari, & Deum,& è contrà, & non alia charitate diligi proximum ab ea, qua diligitur Deus. Neque ex Scriptura hanc unitatem habitus charitatis reſpectu amoris Dei, & proximi, ex eo dumtaxat, deducimus, quod dicat, *qui diligit Deum, diligit proximum*, ſed quia Paulus ad Corinth. 13. eodem modo loquitur de charitate, ac de fide, & Spe; ſicut ergò fides, & Spes ſunt ſingulæ una virtus ab uno motivo formali ſpecificata; ità, & Charitas, erit una virtus Theologica ab uno etiam motivo formali increatæ bonitatis ſpecificata;& hoc modo declarat Doctor *diſt.* 28. *art.* 1. unitatem habitus charitatis, quia non reſpicit primò plura obiecta, ſed ſolum Deum reſpicit pro primo obiecto, ut in ſe bonum primum & ſecundariò velle eum diligi, & per dilectionem haberi à quocumque quantum eſt in ſe, quia in hoc eſt perfecta, & ordinata dilectio eius; & hoc volendo diligo me, & proximum ex charitate, volendo mihi, & ſibi velle, & per dilectionem habere Deum in ſe; itaquod primum obiectum eſt ſolus Deus in ſe, omnia autem alia ſunt quædam obiecta media, quaſi actuum reflexorum, quibus mediantibus tendo in infinitum bonum, quod eſt Deus; idem autem eſt habitus recti, & reflexi ità Doctor ibi.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *Solvuntur Obiectiones.*

574 IN oppoſitum Primò arguit Arriaga cum aliis auctoribus citatis, nam vel in amore proximi bonitas ſupernaturalis creata ipſius eſt etiam obiectum formale talis amoris ſaltem partiale vel non, ſed ſolus Deus eſt obiectum formale, creata vero bonitas eſt purè materiale, ſi primum dicatur, cùm ea bonitas, ut ſic diſtincta ſit creatura, neceſſum omninò eſt, ut actus, qua parte illam habet pro formali obiecto, non ſit theologicus, ſed alterius virtutis, etiamſi ſimul ex altero obiecto ſit theologicus, undè debebunt ibi duæ virtutes concurrere, una moralis, theologica altera. Si verò dicatur ſecundum, ſcilicet, eam proximi bonitatem ſolùm ſe habere, ut obiectum materiale, profectò dicendum erit hominem ratione donorum ſupernaturalium tantùm habere in ſe bonitatem utilem, non verò honeſtam; nam iuxtà principia communia ſola bonitas utilis non poteſt amari propter ſe; hoc autem eſt abſurdum, cùm anima per dona gratiæ pulcherrima, honeſtiſſimaque reddatur.

575 Reſpondeo, ſi verba Doctoris attendamus 3. *diſt.* 28. in ſolutione argumentorum, prima facie velle videtur, quod ſola bonitas increata Dei ſit ratio movendi, & terminandi amorem proximi; nam in ſolutione ad primum inquit, quod ratio bonitatis proximi non eſt ratio terminandi actum amoris, ſed tantùm ratio bonitatis divinæ; & in ſolutione ad tertium replicat, quod una tantum eſt bonitas, quæ eſt ratio tendendi, ſcilicet, divina bonitas, non enim, inquit, movet me plus bonitas proximi, quam feſtucæ, ſi feſtuca poſſet Deum diligere. Verùm circa eum textum notat Aretinus *diſt.* 28. *art.* 1. *in fine* quod quando dicit Doctor, non plus me movere bonitatem proximi, quam feſtucæ, intelligendus eſt de cauſa principali, & eſſentiali ad hoc motiva, quæ tantùm eſt bonitas infinita; alioquin aliqua bonitas accidentalia, & minus principaliter movens poteſt eſſe bonitas creaturę, ut patet de B. Virgine, nam magis debeo illi velle bonum, & precari, quam alii Sancto, quia ſicut aliis eſt admirabilior, & ſanctior ità & præ cunctis diligibilior ex propria bonitate; & ait Aretin. ita neceſſariò hanc litteram eſſe exponendam, quia in ſeq. diſt. inquit Doctor, quod penſatis rationibus ſunt cauſæ diligibilitatis poſt Deum, ut in me eſt identitas, quæ eſt ratio maxima, qua debeo prius me ex charitate diligere, quàm proximum; atque adeò in creatura reperitur aliqua cauſa minus princpalis motiva ad diligendum. Quod non obſcurè colligitur ex ſolutione ad primum, ubi licet dicat, quod ratio bonitatis proximi non eſt ratio terminandi actum amoris, ſed tantùm ratio bonitatis divinæ; ſtatim ſubdit, *quia ſi in bonitatem proximi tendat, hoc non eſt niſi actus reflexo, qui ſemper ulterius tendit in obiectum actus recti* quibus verbis oſtendit actum amoris proximi propter Deum tendere etiam in ipſam proximi bonitatem, non tamen ibi ſiſtere, ſed mediate, & ultimate tendere in bonitatem Dei increatam, quæ illius actus eſt ultimatum, & principale ſpecificativum, eo modo quo obiectum ſpecificativum actus recti directè, & immediatè, eſt etiam ſpecificativum reflexi mediatè, & indirectè; Ità autem dicendum eſt in propoſito, quia ſi bonitas proximi nullo modo moveret, ſed tantùm eſſet obiectum purè materiale, tunc proximus diligeretur tantum, ut medium utile gloriæ Dei, non amando illi bona æterna, quatenus ei bona ſunt, quo pacto non amatur amore amicitiæ, ſed concupiſcentiæ, quo modo amãtur etiã creaturæ irrationales, quatenus, & ipſæ ſunt manifeſtativæ gloriæ Dei. Alia tamen poteſt eſſe prestantior proximi dilectio, per quam ille diligatur, non ſicut præcisè medium utile ad aliquod divinum bonum ſed ſicut perſona, cui, & in qua bonum Deo tribuere volumus, quæ dilectio proximum reſpicit aliquo modo, ſicut finem *Cui* immediatè Deum verò, ſicut finem ultimum, cui idem bonum deſideramus Et de iſto amore proximi propter Deum hic eſt ſermo, quo pacto propter Deum diligibiles non ſunt cæteræ creaturæ.

576 Quando itaque bonitas increata Dei, quę eſt formale obiectum principale charitatis, non movet ſola ad dilectionem Dei, ſed coniuncta cum bonitate creata proximi, tanquam cum ratione minus principali, & ſubordinata, ut in caſu propoſito; in ordine ad ſpecificandum actum dilectionis ità ſe habent, quod bonitas creata proximi, quia non concurrit ęquè principaliter, ſed ut ratio minus principalis, & ſubordinata increatæ bonitati, tanquam principali, & ultimato motivo non concurrit ad dandam ultimam differentiam, & ſpeciem actui ſed ſollùm ſubalternam, & genericam; Et hoc pacto ſalvatur, quomodo obiectum formale charitatis ſit bonitas increata Dei, quod eſt neceſſarium ad virtutem Theologicam, quæ debet habere pro obiecto formali Deum; & adhuc ſalvatur quomodo proximus ea dilectione non ſolùm diligatur amore concupiſcentiæ, quatenus eſt manifeſtatiuũ gloriæ Dei, ſed etiam amicitiæ propter intrinſecam bonitatem ipſius; primum enim ſalvatur ob obiectum formale principale ultimatè ſpecificatiuum, quod omnem actum charitatis ingreditur; alterum verò ſalvatur ob obiectum minus principale, & ſubordinatum principaliori; Ex quo etiam patet minimè opus eſſe, ut ad illum actum duæ virtutes concurrant, una moralis, & altera Theologica, quia duæ illæ bonitates non ex æquo concurrunt ad illum actum ſpecificandum; ſed una, nempè creata, eſt minus principalis, & ſubordinatur alteri, ſcilicet, increatæ, quæ veluti principalis, & ultimata dat actui ultimam differentiam, & ſpeciem quam reſponſionem & doctrinam adhibet quoque Amicus *loc. cit.* & fatetur eſſe Scoti *diſt.* 31. *q. unic* §. *ſed adhuc*, ut ibi eſt videre.

577 Sed Dices, quando Deus immediatè, & directè amatur propter ſuam bonitatem, tunc utiq; ſola virtus Theologica charitatis ſufficit ad illum actum ſpecificandum, quia tunc ſola Dei bonitas eſt adæquatum illius actus ſpecificatiuum; at quando amatur proximus propter Deum, quamvis ultimatum ſpecificatiuum ſit bonitas Dei, non tamen ſola ipſa adæquatè ſpecificat, quia cum ipſa ad ſpecificandum etiam concurrit bonitas intrinſeca creaturæ; ergò actus iſti ſunt ſpecie differentes, atque ideò duę virtutes debebunt ad eorum ſpecificatione concurrere una Theologica, & altera moralis. Reſpondeo negando ſecundam partem antecedentis, quia licet in ſecundo caſu bonitas increata Dei non adæquatè ſpecificet actum, eo quod cum ipſa ad ſpecificandum concurrit bonitas etiam intrinſeca proximi, quia tamen hæc non concurrit æquè principaliter, ſed ut ratio minus principalis, & ſubordinata increatæ bonitati, tanquam principali, & ultimato motivo, non concurrit ad dandam ultimam differentiam, & ſpeciem actui, ſed ſolum ſubalternam, & genericam, ut ſuprà dictum eſt.

578 Inſtabis, quod etiam in tali caſu bonitas creata proximi det actui, non tantum differentiam genericam & ſubalternam, ſed etiam ultimam, & ſpecificam, quia actus miſericordię v. g. volitus propter intrinſecam bonitatem ſuam pertinet ad virtutem miſericordiæ, volitus propter extrinſecam bonitatem virtutis pœnitentiæ, pertinet ad virtutem pœnitentiæ, atque ità ſimul eſt in duplici virtutis ſpecie diſparata, in una eſſentialiter; in altera accidentaliter; ergò à pari in propoſito idem proximus dilectus propter intrinſecam bonitatem ſupernaturalem participatam ſibi inexiſtentem, erit obiectum amicitiæ ſupernaturalis proximi; & ad eam virtutem infuſam pertinebit, dilectus verò propter extrinſecam Dei bonitatem, erit obiectum charitatis, & ad hanc virtutem actus ille pertinebit accidentaliter. Reſpondeo negando conſequentiam ratio diſparitatis eſt, quia actus miſericordiæ, & cuiuſcunque alterius virtutis, eſt apetibilis independenter à bonitate alterius virtutis propter ſuam intrinſecam bonitatem, & ideò quando ulterius appetitur propter extrinſecam bonitatem alterius virtutis, non niſi accidentaliter ab ea ſpecificatur, ſeù ſpeciem ſumit accidentalem, eſſentialem verò à propria intrinſeca bonitate; at bonitas ſupernaturalis proximi vi habitus charitatis qui de facto datur, non eſt diligibilis, niſi dependenter a bonitate increata Dei, ut explicatum eſt ſuprà num. 571. & ideò ab ea ultimatè ſpecificatur, & eſſentialiter, tanquam à principaliori ſpecificativo, actus diligendi proximum etiam propter ſuam intrinſecam bonitatem.

Secundò principaliter obiicitur, quia ſi ratio formalis, ſpecificativa charitatis, & amoris Dei, & proximi eſt ipſa bonitas increata Dei, ex cujus complacentia non ſolùm diligitur Deus, ſed etiam proximus propter Deum, iam non

ſalvatur



ſalvatur, quod charitas ſit amicitia ergà proximum, quoniam 8. Ethic. amicitia eſt gratia amici, diligit enim amicum ex complacentia ipſius amici; ergò ſi charitas diligit proximum, non ex complacentia ipſius, ſed Dei, non erit amicitia proximi, ſed Dei, ſicut non amat amore amicitiæ, ſed concupiſcentiæ, qui amicum diligit, non propter commodum, & complacentiam amici, ſed propter commodum, & complacentiam ſui; amore enim ſpecificatur ex obiecto, ex cuius complacentia elicitur.

Reſpondeo, quod argumentum concluderet, ſi proximus diligeretur ob increatam Dei bonitatem præcisè, & ſolùm, ut utilis ad aliquod bonum, quod Deo deſideramus, & nullo modo ob intrinſecam ſui bonitatem, ſic enim utique hæc dilectio eſſet purus amor concupiſcentiæ, & non amicitię, qualis eſt amor medii utilis propter finem; at non ſic eſt in propoſito, quia ſupponimus proximum etiam diligi ob intrinſecam ſui bonitatem, & ex complacentia ſui; Quod autem ultimatè etiam diligatur propter bonitatem Dei, non tollit, quod hic amor ſit adhuc amicitiæ ergà proximum; nam complacentia Dei non obſtat, quin verè, & propriè bona ſupernaturalia procimi amentur, ut bona, & utilia ipſi proximo, quod ad propriam, & formalem amicitiam ſufficit, ut patet in ipſo Deo, qui verè nos diligit amore amicitiæ; Io. 15. *Vos amici mei eſtis*, cum tamen ultimatè nos diligat ex complacentia ſui. Et ratio eſt, quam aſſignavimus ſupra *quæſt.* 20. *art.* 2. *num.* 568. quia honeſta amicitia non impedit, quominus omnia bona in finem ultimum referantur, hoc enim per ſe honeſtum eſt, & nobis utile, undè nulla virtus excludit ordinem ad ultimum finem, quia hæc eſt præcipua circumſtantia virtutis præſertim infuſæ & ſupernaturalis; Quare non eſt contrà rationem amicitiæ diligere amicum, ut finem ſub fine ultimo, & amicum ſub principali amico Deo, ſub quo reliqua ſunt diligenda: Neque Ariſtot. cùm dixit 8. Ethic. amicitiam eſſe gratia amici, excludit ordinem ad ultimum finem ad quem omnis virtus dirigenda eſt, ſed ad alium finem, & ſubiectum creatum. Et demum, cum dicebatur amorem ſpecificari ab obiecto ex cuius complacentia elicitur; hoc totum verum eſt, ſed rectè intelligendum iuxtà ordinem aſſignatum n. 576. ut nimirum bonitas creata proximi, ut minus principale motiuum, & alteri ſubordinatum tribuat differentiam genericam, & ſubalternam bonitas verò increata Dei, tanquam, principale, & ultimatum motiuum, tribuat actui ultimam differentiam, & ſpeciem neque ulterior hæc relatio, qua proximus amatur propeer bonitatem Dei impedit, quin verè, & propriè ametur etiam propter bonitatem propriam, ſicut quando volo actum temperantiæ, non ut purum medium utile ad virtutem pœnitentiæ, ſed etiam ut per ſe honeſtum, hæc relatio ulterior ad bonum pænitentiæ non obſtat, quin ipſa bonitas temperantiæ etiam propter ſe ametur.

580 Tertiò obiicitur, quia eleemoſynæ, & iuſtitiæ honeſtates multò magis conveniunt inter ſe, & cum honeſtate caſtitatis, aut alterius virtutis moralis, quàm honeſtas proximi iuſti cum honeſtate Dei, hæ enim differunt infinitè; illæ verò fortè ſolum ſpecie infima: Et tamen de facto diſtinguitur virtus eleemoſynæ à virtute iuſtitiæ, caſtitate, cæteriſque moralibus; ergò etiam diſtinguetur da facto amor Dei propter ipſum ab amore proximi propter ipſum; Conſequentia patet, quia obiectorum diſtinctio eſt maior, ut probatum eſt; aliundè vero nulla ratio magis nos cogit, ut eos amores ad unam virtutem reducamus, quam ut miſericordiam, iuſtitiam, &c. ad unam.

Reſpondeo negando conſequentiam, ratio diſparitatis eſt quia licet maior diſtinctio verſetur inter obiecta illarum dilectionum Dei, & proximi, quàm inter obiecta iuſtitiæ, & caſtitatis, ac aliarum virtutum moralium; adhuc tamen maior eſt dependentia inter illa obiecta, quàm inter iſta, quia actus cuiuſcunq; virtutis moralis eſt appetibilis propter intrinſecam ſuam bonitatem independenter ab honeſtate alterius virtutis; at bonitas ſupernaturalis proximi vi habitus charitatis, qui de facto datur iuſtis, non eſt diligibilis, niſi per dependentiam à bonitate increata Dei ut ſuprà dictum eſt, & hæc eſt ratio, quæ nos cogit, ut eos amores ad unam reducamus virtutem, potius quàm actus miſericordiæ, & iuſtitiæ ad unam virtutem; Tùm quia cum habitus infuſi non gignantur ex actibus, ſed à Deo infundantur, non deſumunt diverſitatem ex actibus, ut virtutes morales, ſed ex motivo principali diverſo, quarè cum in actu dilectionis Dei, & proximi ſit idem motiuum principale, ipſa, ſcilicet, bonitas increata Dei, unus erit habitus utriuſque quæ ratio non militat in actibus virtutũ moralium. Neq; inficior actum dilectionis ergà Deum ſpecie differe ab actu dilectionis ergà proximum, at non differunt ſpecie diſparata, quia non concurrunt bonitas creata, & increata ęquè principaliter ad actum ſpecificandum, ſed ſicut ſpecie media, & extrema in eodem genere, ut ſuprà explicatum eſt in ſolutione ad primum; Et quando etiam ſpecie diſparata differrent, nulla adhuc ratio cogit, ut à diverſis ſpecie habitibus elici debeant; nam iuxtà communiorem ſententiam actus dilectionis Dei, & contritionis de peccatis ſunt diverſis ſpecie, cùm tamen in omni ſententia uterque actus ab eodem habitu charitatis eliciatur.

581 Quartò obiicitur; non minus perfectio naturalis, quàm ſupernaturalis eſt participatio perfectionis divinæ, ſed poteſt proximus amicitia naturali amari propter ipſius perfectionem naturalem ſine ordine ad Deum, quia bonitas naturalis hominis eſt amabilis propter ſe amore amicitiæ non amato Deo; ergò etiam poterit amari propter perfectionem ſupernaturalem ſine ordine ad Deum: & ulterius dari poterit aliqua virtus ſupernaturalis amans illum hominem ob eamdem bonitatem naturalem non amato Deo, ſuppoſita præſertim ſententia, quod non ſit neceſſarium ad actum ſupernaturalem, ut eius obiectum formale, vel materiale ſit quid ſupernaturale, quàm etiam nos ſuprà amplexi ſumus.

Reſpondeo negando paritatem, ſiquidem amicitia naturalis cùm ſit habitus acquiſitus ex actibus, quibus ſolent homines alios diligere propter ſolam bonitatem naturalem in illis exiſtentem, ſine ulla relatione ad Deum auctorem eiuſdem, huiuſmodi reſpectum, & habitudinem non includit, quia nequit habitus gigni perfectior ſua cauſa; licet abſolutè loquendo non repugnet dari habitum amicitiæ naturalis, qui ſimul diligat Deum, ut auctorem bonorum naturalium, & proximum propter Deum: At habitus charitatis, qui de facto iuſtis infunditur, eſt participatio illius increatæ charitatis, qua Deus nos propter ſeipſum diligit; ac proindè ex natura ſua inclinat ſubiectum ad amandum proximum propter Deum; undè hic habitus infuſus excellentiori modo participat abſque ulla comparatione divinam perfectionem, quam participet habitus amicitiæ naturalis, ac etiam bonitas creata ſupernaturalis, quàm bonitas creata naturalis, quia illa magis accedit ad ordinem divinum. Appoſitè autem dixi id modò contingeret ex vi huius habitus, quem de facto Deus iuſtis infundit, quia de poſſibili, ut ſupradictum eſt, non repugnat vi alterius habitus proximum diligi propter ſupernaturalem bonitatem participatam abſque formali dependentia à bonitate increata Dei; ſicut nec etiam repugnat dari virtutem aliquam ſupernaturalem, qua diligatur bonitas hominis naturalis ſine relatione ad Deum auctorem eiuſdem.

582 Quintò obiicitur paritate deſumpta ex cultu Dei, & creaturæ; non enim minus differt excellentia divina ab excellentia creata, quàm bonitas divina à creata; atqui de facto ad colendam excellentiam divinam propter ſe datur virtus latriæ diverſa ab ea, qua colitur excellentia creata etiam ſupernaturalis propter ſe; ergò eodem modo ad amandam bonitatem increatam propter ipſam dabitur de facto diſtinctus habitus ab eo, quo amatur bonitas creata: nec enim de facto ulla eſt ratio ſpecialiter urgens in charitate, quæ non detur in Religione, & è contrà. Sicut ergò datur duplex motivum formale adorationis, quæ eſt excellentia, & ſanctitas increata, & excellentia, ac ſanctitas creata, fundantes diſtinctas virtutes Religionis alteram Latriæ erga Deum, alteram Duliæ ergà Sanctos; ſic pariter concedit debebit duplex motivum charitatis, nempè bonitas increata fundans habitum amicitię ergà Deum; & bonitas ſupernaturalis creata fundans habitum amicitiæ ſupernaturalis ergà proximum:

Confirmatur, quia ratio ad id aſſerendum multò magis urget in hoc amore charitatis, quàm in Religione (inquit Arriaga) nam Religio non habet pro obiecto formali ipſas, excellentias divinam, & creatam, ſed ſolum cultum externum factum in honorem Dei, & cultum externum etiam factum in honorem proximi, uterq; autem cultus, licet unus reſpiciat Deum, & alter creaturam, eſt tamen in ſe verè creatura, quarè multò minus differunt, quàm excellentia creata, & increata, ergò obiecta illorum actuum Religionis multò minorem habebunt differentiam, quàm amor Dei, & proximi, quia hi pro obiecto formali, & proprio immediatè reſpiciunt Deum, & creaturam abinuicem infinitè diſtantia, ergò incomparabiliter minor ratio erit reducendi ad unum habitum eos duos amores Dei, & creaturę, quàm duos actus Religionis.

583 Reſpondetur cum Amico cit. hanc rationem ſolùm oſtendere, quod non repugnat proximum diligi dilectione ſupernaturali propter ſolam bonitatem ſupernaturalem participatam, ac proindè diſtincta virtute à charitate Theologica, quemadmodum de facto Sanctus cultu Duliæ honoraretur propter ſolam ſanctitatem creatam, nulla enim huius rei aſſignari poteſt implicantia, At hoc non oſtendit de facto, quia cùm æquè poſſit diligi proximus amore amicitiæ propter eandem bonitatem increatam, qua diligitur Deus ipſe, & ità de facto diligi affirment Scriptura, & Patres, de facto non diſtincta, ſed eadem Theologica charitate diligitur, cùm quia non ſunt multiplicandi habitus ſupernaturales abſque neceſſitate, tùm quia hoc modo perfectius diligitur proximus, uti diligendus eſt, ut finis ſub fine, & amicus ſub principali



 amico

amico Deo. Quod autem ſic perfectius diligatur proximus; non verò ſic perfectius honoraretur Sanctus, ſi nimirum honoraretur, non tantum propter excellentiam propriam creatam, ſed etiam propter increatam Dei, ex eo ſatis apte deducit Amicus; quia ex eo, quod ametur proximus propter bonitatem increatam Dei non minuitur, aut deterioratur, ſed potius augetur, & perficitur amor ergà proximum; Contrà verò ex eo, quod Sancti honorentur propter excellentiam increatam Dei, non perficitur, ſed potius deterioratur, ac minuitur ipſorum honor; ergò potior eſt ratio, cur proximus ametur eodem habitu charitatis propter bonitatem increatam Dei, quàm Sancti honerentur eodem Religionis habitu propter intrinſecam excellentiam Dei, etſi neutrum ſimpliciter implicet, quæ etiam ratio militat non obſtante, quod obiecta illorum actuum Religionis minorem habeant differentiam, quàm amor Dei, & proximi; ut urgebat Arriaga; Conſequentia patet, quia piè ſupponendum eſt circà amorem proximi, & cultum Sanctis exhibendum id feciſſe Deum; quod melius eſt, & magis confert ad perfectionem illorum actuum:

584 Aſſumptum verò, in quo difficultas conſiſtit, ſic oſtenditur, quia amor proximi eo magis perficitur, & augetur, quo magis perficitur, & augetur eius immediatum, & proximum obiectum quod eſt ipſa bonitas participata creaturæ, quæ per revelationem ad bonitatem increatam Dei perficitur, & augetur; Contra verò ex eo, quod honor defertur Sanctis ultimatè propter ſanctitatem, & excellentiam Dei, eſtò iis deferatur etiam propter ipſorum creatam ſanctitatem & excellentiam, minuitur ipſorum honor; & ratio eſt, quia cum his exhibeatur in ſignum, & teſtimonium propriæ virtus, & excellentiæ, quantò virtus, & excellentia, propter quàm exhibetur, concipitur, ut minus propria eius, cui exhibetur, & magis & propria alterius, propter quam ultimatè exhibetur, tanto minuitur ergà ipſum honor; eo quod honor, ut honor per ſe reſpicit virtutem, ac meritum perſonæ, cui exhibetur, Quo fit, ut cæteris paribus maiori cultu, atque honore colendi ſint Sancti, qui beatitudinem non ſolùm poſſident titulo hæreditatis, ut eam poſſident paruuli cum ſolo baptiſmo decedentes; ſed etiam titulo præmii, & coronæ propter merita propria virtute acquiſita, quò pacto gloria illis concipitur, ut magis propria, ac debita. Hoc verò diſcrimen inter amorem, & honorem alicui delatum ex eo oritur, quoniam obiectum amoris eſt bonum utile ac proficuum amico, undecunque illud naſcatur, at obiectum honoris non eſt quodcunque bonum, ſed proprium, ac debitum perſonæ honoratæ, hæc, inquam, eſt ratio, cur ſi ametur proximus propter bonitatem increatam Dei, non minuitur, aut deterioratur talis amor, ſed potius augetur, & perficitur, at Sancti ex eo, quod honorentur ob excellentiam increatam Dei, non perficitur, ſed potius deterioratur, ac minuitur ipſorum honor.

585 Sextò tandem obiicitur, quia diverſi ſpecie actus diverſos requirunt habitus; ſed dilectio Dei, & proximi ſunt diverſi ſpecie actus, quia habent diverſa obiecta formalia, ergò diverſos requirunt habitus; Maior patet, quia idem eſt ſpecificatiuum actus, & habitus.

Reſpondeo, maiorem cum eius probatione non habere univerſalem veritatem in habitus infuſis, ſed tantùm in acquiſitis, quoniam habitus acquiſiti giguntur, ex actibus, quare ſi actus, ex quibus giguntur, ſunt ſpecie diſtincti, etiam habitus pariter inter ſe diſtinguentur, cùm nequeat actus ſpecie diverſi gignere habitum eiuſdem ſpeciei; At verò habitus infuſi, cùm non generentur ex actibus, ſed à Deo infundantur, nec dentur tantùm ad faciliter agendum, ſed ad poſſe ſimpliciter, habent ſe potius inſtar potentiæ, quàm habitus, undè non ſumunt diverſitatem ex actibus, quos producunt, ſed ex motivo principali diverſo, ideò ſimpliciter, & abſolutè loquendo nullum eſt inconveniens, quod poſſint in plures actus ſpecie diverſos, & de facto actus dilectionis Dei, & contritionis de peccatis, qui iuxtà communem cenſentur actus ſpecie diverſi, ab eodem charitatis habitu ponuntur communiter produci. Ad minorem iam dictum eſt, quod licet in dilectione proximi propter Deum concurrant duo illa obiecta formalia, ſcilicet, bonitas increata Dei, & creata ſupernaturalis proximi, non tamen eodem modo, nec æquè principaliter; undè quia creata concurrit, ut minus principalis, & ut ſubordinata increatæ bonitati, tanquam principali, & ultimo motivo, non concurrit ad dandam ultimam differentiam, & ſpeciem actui, ſed ſolùm ſubalternam, & genericam, ut dictum eſt in ſolutione ad primum; Cùm igitur in actu dilectionis Dei, & proximi ſit idem motivum principale, ipſa, ſcilicet, bonitas increata Dei, unus erit habitus utriuſque, nec actus illi differentes erunt ſpecie diſparata, ſed potius ſubalterna, & ſubordinata, quatenus amor proximi, ut immediatè, & directè tendens in eius propriam bonitatem ſupernaturalem, ſubordinatur, ut proprium potentiale ad recipiendam ulteriorem perfectionem per ulteriorem tendentiam in bonitatem Dei increatam, ut in obiectum ultimatum, & magis principale, qua ratione eodem etiam actu numero diligi poteſt Deus in ſe, & proximus propter Deum, ut ait Doctor hic *diſt.* 28. & clarius in Reportatis eadem *diſt. q.* 1.

586 Poſtremò hìc advertendum cum Amico *ſect. 3. cit. in fine*, quod eſtò interdum amaremus proximo ſupernaturalem bonitatem participatam abſq; ulla formali dependentia à bonitate increata Dei, tanquã ab obiecto, & motivo principali, quia cùm hic actus ſit poſſibilis, ut dictum eſt, non videtur numquam ille à nobis elici, Hoc, inquam, conceſſo adhuc negandum eſt, ob talem actum infundi nobis diſtinctũ habitum ſupernaturalem, ſed dicendum eſt illum elici ex ſola auxilio ſupernaturali vim habitus ſupplente, & ratio eſt, quia cùm tales actus ſint rariſſimi, & aliundè perfectiori modo elici poſſint propter principale motiuum, non fuit talis habitus infuſio neceſſaria. Tùm quia talem habitum de facto nobis infundit Deus ad diligendum proximum, ut ſuprà dictum eſt, qui ſit ſpecialis participatio ſuæ charitatis, quæ perfectiſſimo modo tendit in creaturas rationales, amando illis bona ſupernaturalia verò amore amicitiæ, ultimatè propter ſe tanquam propter obiectum, & motiuum principale.

## QUÆSTIO VIGESIMATERTIA.

*An præter charitatem infuſam ſit alia charitas noſtris actibus acquiſita.*

587 IN hac difficultate duę ſunt ſententiæ, Prima negat habitum charitatis acquiſitum, quæ videtur D. Thomæ *part.* 2. *quæſt.* 51. *artic.* 4 *ad* 3. negantis ex actibus habitus infuſi ullum habitum gigni, ſed priorem roborari, confirmari, & perfici, & ſic etiam Thomiſtæ loqui ſolent. Altera ſententia eſt Scotiſtarum, & Nominalium dicentium, quod ſicut ex actibus fidei, & ſpei infuſæ, generantur in nobis quidam alii habitus, qui ſunt fides, & ſpes acquiſita; ſic etiam ex actibus charitatis infuſæ relinquitur quidam habitus, qui eſt charitas acquiſita, quę tamen non eſt Theologica virtus, quoniam a Deo immediatè non infunditur, quæ eſt una ex tribus conditionibus ad virtutem Theologicam requiſitis ex Scoto 3. *diſt.* 26. *qu. unic.* in corpore quæſtionis, eſt tamen habitus Theologicus, quippè qui circà Deum proximè verſatur, hanc ſequuntur Averſa *quæſt.* 55. *ſect.* 7. Coninch. *lib.* 1. *de virtutibus diſputat* 7. *dub.* 3. Ovvied. *part.* 1. *tract.* 3. *controver.* 2. *punct.* 4. & alii.

## ARTICULUS PRIMUS.

*Sententia affirmativa ſtatuitur.*

588 DIcendum eſt cum ſecunda ſententia per actus virtutum ſupernaturalium generari habitus naturalis ordinis, qui dicuntur habitus acquiſiti, & ſic in propoſito ex actibus charitatis infuſæ generari in nobis habitum charitatis acquiſitæ. Ità Scotus 3. *diſtinct.* 23 *quæſt.* 1. *artic.* 1. Aretinus *diſtinct.* 27. *art.* 6. Poncius *diſp.* 26. *quæſt.* 2. in fine, & alii Scotiſtæ paſſim cum Nominalibus; Probatur experientia, quia Catholicus, qui erat aſſuetus elicere actus ſupernaturales fidei, acquirit facilitatem credendi, ut de ſe conſtat; ſed hæc facilitas non provenit ex habitu per ſe infuſo fidei, tùm quia ut ſæpè dictum eſt, talis habitus ex natura ſua facilitatem non confert, ut patet in noviter converſo ad fidem; tum quia hęreticus poſt amiſſam fidem infuſam facilè, & expeditè credit veros eſſe articulos fidei, in quibus ipſe non errat; ergò debet provenire ex habitu acquiſito, & naturali; at hic habitus acquiri non potuit, niſi per illos actus ſupernaturales quos anteà elicuit, ergò &c. Et idem argumentum de ſpe, & charitate fieri poteſt nam idem hæreticus facilè quoque, & promptè ſperat, ſe conſecuturum bona cæleſtia, quę anteà dum erat Catholicus ſperabat; is etiam, qui in peccatum incidit mortale, & charitatem amiſit, experitur ſe habilem, & promptum ad Deum Diligendum; ergò cum virtutibus infuſis per peccatum contrarium amiſſis, experiamur nihilominus nos ad actus conſimiles promptos, & expeditos, dicendum eſt id evenire per habitus acquiſitos ex actibus illarum virtutum generatos, quando nobis inerant.

Reſpondent Thomiſtæ per actus virtutis infuſæ perfici, & augeri eandem ipſam virtutem; non verò habitum novum generari, Sed contrà, quia vel per hoc putant perfici, & augeri phyſicè eandem virtutem infuſam, & hoc dici non poteſt, quia actus noſter non poteſt eſſe cauſa efficiens incrementi habitus infuſi, ſed tantum Deus, à quo immediatè infunditur, quare ſicut ab initio Deus, ut cauſa efficiens, facit, & infundit habitum, ſic poſteà ipſe ſolus conſervat, auget, & perficit; Vel per hoc intendunt meritoriè tantum, & mo-



moraliter perfici, & augeri virtutem infuſam per actus noſtros; & licet hoc verum ſit, non tamen ſufficit, quia argumentum probat phyſicè, & ex natura rei acquiri facilitatem ad operandum, quæ facilitas explicari nequit, niſi per habitum acquiſitum ab infuſo diverſum.

589 Reſpondet Vaſquez *par.* 2. *diſp.* 79. *cap.* 10. hanc maiorem facilitatem ex frequentatione actuum ſupernaturalium acquiſitam explicari poſſe abſque alio habitu, per hoc ſolùm, quod homo utens ſpeciebus intentionalibus, quæ ſunt in intellectu ad apprehenſionem obiecti; circa quod elicit actum ſupernaturalem, ipſa exercitatione redditur promptior ad ſimiles actus apprehenſionis; & conſequenter ad alios, quibus apprehenſio deſervit. Sed hæc reſponſio, ut inquit Averſa loc. cit. viam aperit ad negandum omnem habitum acquiſitum, eludendamque experientiam, ex qua hi habitus agniti ſunt, cùm quoad hoc ſit eadem ratio de habitibus naturalibus, & ſupernaturalibus.

Reſpondent tandem alii, novum habitum acquiri, non tamen per actus ſupernaturales virtutum infuſarum, ſed per actus ordinis naturalis, qui ſimul elici ſolēt cum actibus ſupernaturalis Sed quamvis nos quoq; ſupra *q.* 6. huius *diſp. n.* 191. dixerimus dari actum fidei acquiſitæ, quotieſcumque datur actus fidei infuſæ, & ſic de aliis virtutibus; diximus tamen ibi cum Scoto *quol.* 14. *art.* 1. *H.* in tali caſu melius theologizari; quod ſit unus, & idem actus virtutis infuſæ, & acquiſitæ, quam quod ſint duo actus, unus naturalis, & alter ſupernaturalis; quia re vera non experimur, nos elicere duos actus, quando credimus fide infuſa ſupernaturali, ſed unum tantùm. Deindè nihil obſtat, quo minus illi actus ſupernaturales producere poſſint habitus naturalis ordinis; quia licet actus illi ſint ſupernaturales quoad modum, tamen quoad ſubſtantiam ſunt naturales, ut dictum eſt *quæſt.* 7. Cùm igitur genericè conveniant cum actibus naturalibus intendentia circa tale obiectum, facile concipi poteſt, quomodo ſecundum illam rationem, quæ ſecundum ſe præcisę non eſt ſupernaturalis, poſſent talem habitum producere, qualem producere poſſent actus naturales, cùm enim ſint eiuſdem ordinis quoad ſubſtantiam, poterunt illum producere, non quatenus ſunt actus ſupernaturales, hoc eſt, ex habitu, vel auxilio ſupernaturalis procedentes, ſed quatenus ſunt eiuſdem ſubſtantiæ, cujus ſunt actus habituum acquiſitorum, quod ſolet declarari exemplo ſtatuæ ligneæ, ex qua generari poteſt lignum, non quatenus arte facta eſt, ſed quatenus lignea; Per quam doctrinam melius explicatur id, quod hìc ſolent inculcare Thomiſtæ, ex actibus ſimilem habitum gigni, quod ait Averſa verificari ſolum de habitu, qui facit ut actus facilius eliciantur, non verò de habitu, qui datur ad ſimpliciter operandum, qualis eſt ſupernaturalis; Nam iuxtà allatam doctrinam explicatur in quo ſenſu etiam id verificetur de habitibus ſupernaturalibus ut mox patebit.

590 In oppoſitum obiicitur. Primò, quia vel huiuſmodi habitus acquiſitus ex actibus infuſis eſſet eiuſdem ſpeciei cum habitu infuſo, vel diverſæ; non primum, quia habitus infuſus talis eſt, ut per naturam fieri non poſſit, acquiſitus autem per naturam fieri poteſt; neque ſecundum, quia habitus fit ex actibus eiuſdem ſpeciei. Rurſus, vel iſte habitus genitus ex actibus virtutis infuſæ eſſet naturalis, vel ſupernaturalis; non primum, quia non eſſente eiuſdem ſpeciei, cuius ſunt actus, ex quibus comparatur; habitus autem naturalis eſt eiuſdem ſpeciei cum actibus, ex quibus generatur. Neque ſecundum, quia alioqui ex actibus noſtri non fieret, & habitus acquiſitus non eſſet. Denique ille habitus de novo genitus eſſet naturalis, & non eſſet; eſſet quidem ex hypoteſi concluſionis; non eſſet autem, quia præſupponit principium ſupernaturale, nempè actum ſupernaturalem, quod autem tale principium ſupponit in ſui productione eſt ſupernaturale, non verò naturale, hac enim ratione actus aliquis dicitur ſupernaturalis, quia præſupponit principium ſupernaturale, nempè, vel habitum per ſe infuſum, vel auxilium ſupernaturale.

591 Reſpondeo, ex actibus habituum infuſorum frequentatis habitum generari naturalem, & alterius ſpeciei non ſupernaturalem, quia actus harum virtutum Theologicarum ſunt ſupernaturales tantùm quoad modum, naturales verò quoad ſubſtantiam, ut dictum eſt *quæſt.* 6. huius diſput. quarè ſicut ex ſtatua lignea poteſt lignum generari, non ut eſt artefacta, ſed quatenus lignea eſt; ſic actus credendi, non ut eſt ex ſupernaturali principio, ſcilicet, habitu infuſo, vel auxilio Dei, ſed ut eſt actus rationis ſæpè replicatus generat habitum naturalem, non verò ſupernaturalem, quia non fit ex iſtis actibus, quatenus ſunt ſupernaturales ſecundum modum, ſed quoad eorum ſubſtantiam, ratione cuius ſunt eiuſdem naturæ cum actibus habituum acquiſitorum; atque ita actus habitus infuſi generant habitum alterius ſpeciei ab habitu, cuius ſunt actus; per quod patet ad primum, & ſecundum. Ad ultimum negatur conſequentia, ad probationem dico, quod talis habitus acquiſitus de novo genitus ex actibus ſupernaturalibus virtutis infuſæ non ſupponit illos, quatenus ſupernaturales ſunt, hoc eſt, quatenus fiunt ex ſupernaturali principio, nimirum habitu infuſo, & auxilio Dei, ſed quatenus naturales ſunt quoad ſubſtantiã; undè non ſupponit principium illud ſupernaturale qua tale, quia æquè cauſari poſſet per actus naturales, atque ideò abſolutè dici debet habitus naturalis, non verò ſupernaturalis, ille enim effectus dumtaxat dicitur ſupernaturalis, qui ad ſui productionem exigit principium ſupernaturale, qua tale.

592 Deindè obiicitur, nam actus fidei eſt, quo credimus aliquid, quia dictum à Deo; actus ſpei, quo deſideramus bona cæleſtia, & divina, ſcilicet, gratiæ, & glorię, quatenus promiſſa nobis à Deo, & ab eo liberaliter habenda; actus charitatis, quo amamus Deum, vel proximum propter ipſum Deum, & actus pænitentiæ eſt, quo peccatum commiſſum deteſtamur propter charitatem Dei; At ex his actibus habitus acquiſitus fieri non poteſt, quoniam aut per illum habitum ſimiles actus produceremus, aut diſſimiles; non diſſimiles, quia habitus non gignit actus, niſi ſimiles iis, ex quibus eſt genitus; Neque ſimiles, alioquin in hæretico eſſet actus, quo crederet aliquid, quia dictum à Deo; Et in eo, qui deſperat, eſſet actus, quo ſperaret aliquid, quia promiſſum à Deo; Et in peccatore eſſet actus charitatis, quo Deum, & proximum, diligeret propter Deum; & eſſet actus, pænitentiæ, quo de peccato doleret propter amorem Dei, quæ omnia ſunt abſurda.

Reſpondeo, facultatem in actibus ſupernaturalibus frequenter ſe exercentem reddi expeditiorem, & promptiorem ad agendum, & ad ſimiles actus, non quidem quoad modum, ſed quoad ſubſtantiam tantùm; hoc eſt, redditur expeditior non ad ſupernaturaliter agendum, quia hoc non habet ex uſu, & exercitatione, ſed ex habitu ipſo, & auxilio ſupernaturali; ſed redditur expeditior ad ſimiles actiones ſecundum ſubſtantiã eliciendas ex eo, quod ſæpius credit, ſæpius ſperat, frequenter Deum diligit, & ob eius amorem peccata deteſtatur; unde hæreticus credit articulos fidei, in quibus non errat, non quia Deus dicit, ſed quia aſſuetus eſt credere, neque ex habitu fidei infuſo, quem per infidelitatem amiſit, ſed ex aſſuetudine, & habitu, quem ſæpius antè credendo comparavit; & ſic dicendum de actibus ſperandi, diligendi, & pęnitendi, quod ſi eos eliceret ſimiles quoad ſubſtantiã, non tamen quoad modum, & ſicut oportet ad ſalutem modo iam explicato *q.* 5. *n.* 168. in quo modo præciſe conſiſtit ſupernaturalitas actus, ut ibi dictum eſt.

593 Denique obiicitur, quia ſi ultrà charitatem infuſam ponenda eſſet charitas acquiſita, duo habitus eiuſdem ſpeciei eſſent ſimul in eadem vluntate, quod eſt abſurdum; conſequentia patet, nam ratione obiecti eſſent eiuſdem rationis, quia idem obiectum reſpicerent ſub eadem ratione formali, ſcilicet, ſub ratione Deitatis; Neque hanc tollit identitatem diverſitas ortus, ſeù quod ſint à diverſis cauſis efficientibus, quia ut ait Auguſt. *li.* 3. *de Trinit. c.* 9. & Ambroſius de Incarnatione Verbi, differentia originis non diverſificat ſpeciem, quod patet de homine per creationem, & generationem producto, Adam enim fuit eiuſdem ſpeciei nobiſcum.

Reſpondet Doctor 3. *diſt.* 27. *q. unic.* in ſolutione ad quartum principale negando conſequentiam, non enim poteſt ex actibus virtutis Theologicæ, & per ſe infuſæ acquiri aliquis habitus eiuſdem ſpeciei cum ea; licet habitus illè tenderet in Deum ſub eadem ratione obiectiva, & etiam per actum in ſubſtantia ſimilem; nam eſt regula univerſalis apud Doctorem 3. *diſt.* 14 *q.* 1. *ad* 2. quod licet ex diverſitate formali obiectorum diverſitas actuum ſpecifica deduci poſſit, non tamen ex identitate obiecti identitatem habituum, vel actuum deducere licet, ut dictum eſt *diſput.* 6. de Anima *q.* 11. *n.* 332. qua ratione diximus ſuprà *qu.* 7. huius diſput. & actum, & habitum tam naturalem, quam ſupernaturalem poſſe in idem obiectum tendere, & ſub eadem ratione formali; Ad auctoritatem Ambroſii, & Auguſtini, quod diverſitas cauſæ efficientis non facit in effectibus diverſitatem ſpecificam, ait Doctor, id eſſe verum, quando effectus à diverſis efficientibus producti, poſſunt etiam produci ab uno agente ſecundum ſpeciem, ut rana ex putri genita, & alia per propagationem orta, ſpecie non differunt, quia poſſunt ab eodem agente in ſpecie produci; at non quando à diverſis efficientibus ità determinatè producuntur, quod non poſſunt produci alio modo, quo pacto ſe habet fides, vel charitas infuſa, quæ ſic immediatè à Deo produci petit, quod non poteſt alio modo produci.

ARTI-

## ARTICULUS SECUNDUS.

*Charitatis infuſa, & acquiſita diſcrimina.*

594 INter Charitatem infuſam, & acquiſitam plura, & varia ſolent aſſignari diſcrimina, iuxtà quæ ſolent ab invicem diſcriminari virtutes per ſe infuſæ in generali ab acquiſitis, quæ ſingillatim hic examinare iuvabit, ut res magis eluceſcat.

Primò itaque diſcriminari ſolent, eo quod charitas infuſa ſit habitus ſupernaturalis in ſubſtantia, acquiſita verò purè naturalis; Ratio eſt, quia per virtutem ſupernaturalem in ſubſtantia intelligitur habitus ille, qui a ſolo Deo produci poteſt ſine ulla diſpoſitione phyſica ex parte creaturæ, quæ conntúraliter exigat, ut producatur ab ipſo; talis autem eſt virtus charitatis, & quælibet alia Theologica, & per ſe infuſa, quia à ſolo Deo producuntur, & infunduntur, nec ulla alia cauſa creata aſſignari poteſt, quæ illas producere poſſit, aut aliquam phyſicam diſpoſitionem ad illas; quamvis enim ex parte creaturæ poſſit dari aliqua moralis diſpoſitio, ac meritoria, ita, ſcilicet, ut propter actus aliquis poſſet mereri à Deo, ut infunderentur, ſicut de facto meremur propter actus augmentum earum, ut dictum eſt *lib. 2. diſp. 7.* de Juſtificatione *q. ultim.* numquam tamen dari poteſt ulla diſpoſitio phyſica ex parte creaturæ, quæ connaturaliter exigat earum productionem; Et ratio eſt, quia ut ſupernaturales in ſubſtantia dicantur, non ſufficit, quod à ſolo Deo producantur, aut produci poſſint; alioqui anima rationalis forma ſupernaturalis in ſubſtantia dici deberet, eo quod à ſolo Deo corpori infundatur benè diſpoſito; ſed ulterius requiritur, quod nulla talis præcedat diſpoſitio ad illarum infuſionem, nempè phyſica; ſicut de facto in corpore organizato præcedit ad animæ infuſionem, quæ connaturaliter exigit eius productionem, adeo ut ſi poſita tali diſpoſitione non produceretur, cenſendum eſſet miraculum, ſicut ſi non vellet Deus concurrere cum gravi ad deſcendendum deorſum amato impedimento, vel cum igne ad comburendum lignum benè diſpoſitum, & applicatum; qua ratione anima rationalis dicitur forma merè naturalis etiamſi à ſolo Deo immediatè producatur.

595 Secundò diſcriminari ſolent, eo quod charitas infuſa creatur acquiſita verò de potentia ſubiecti educitur, quod etiam univerſaliter aſſerunt de omnibus virtutibus per ſe infuſis, & præcipuum fundamentum ſumitur ex Scriptura, ubi paſſim gratia creari dicitur, *Cor mundum crea in me Deus* Pſ. 50. hoc eſt, crea in me gratiam, qua ſola poteſt cor mundari; Et ad Epheſ. 1. *Creati in operibus bonis.* & cap. 4. *Induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt,* quatenus, ſcilicet, Deus creat gratiam, & virtutes, quibus redditur novus; ità paſſim profertim Scotiſtæ loqui ſolent.

Verùm *diſp. 3. Phyſ. q 5 art. 2. & lib. 2 ſent. diſp. 1. q. 2.* & ex profeſsò oſtendo ſatis probabile eſſe, nō ſolùm actus ſupernaturales, ſed etiam habitus educi de potentia ſui ſubiecti; & loca Scripturę adducta intelligenda eſſe de creatione morali ad novam vitam. ut etiam non obſcurè indicant Patres; tùm quia etiam productio gratiæ in Scriptura æquè benè ſignificatur interdum nomine generationis, ut Io. 3. *niſi quis renatus fuerit*, qui etiam eſt familiaris modus loquendi Patrum, & colligitur ex Trid. de Juſtif. cap. 3 & 4. Ratio potiſſima, qua ad hoc aſſerendum inducor, eſt, quia ideò aliæ formæ ſubſtantiales, præter animam rationalem, & accidentales dicuntur educi, & non creari, quia in ſuo eſſe fieri, & conſervari à ſubiecto dependent, & nullam habent ſubſiſtentiam partialem, mediante qua poſſint connaturaliter per ſe ſubſiſtere, & ideò exigunt connaturaliter inhærere ſubiecto; ſed charitas, & quælibet alia virtus per ſe infuſa eſt huiuſmodi, quia eſt forma accidentalis; ergò petit produci, & conſervari dependenter à ſubiecto, & conſequenter non creatur, ſed per eductionem producitur, licet immediatè à Deo; quam rationem vide latè propugnatam ab inſtantiis Poncii, & aliorum Scotiſtarum loc. cit. *lib. 2. ſent. diſp. q. 2. art. 2.*

596 Tertiò diſcriminantur, quia Charitas, ſicut & aliæ virtutes per ſe infuſę non dant facilitatem aliquam potentiæ in ordine ad actus producendos, ſicut dant acquiſitæ; Ità Doctor *1. d. 17. q. 2.* & *4. diſt. 6. q. 10.* ſub P. ubi inquit, quod cùm dicitur habitus dari ad faciliter agendum, hoc non eſt verum, niſi de habitu acquiſito, habitus enim infuſus non dat facilitatem ad actum, ut patet de noviter converſo, cui non eſt facile poſt converſionem actus bonos elicere, ſed difficile, quouſque ex frequentia actuum bonorum acquairat aliquam virtutem acquiſitam; Ex hoc tamen, quod non dent virtutes per ſe infuſæ facilitatem ad agendum, non ſequitur, quod ad nihil deſerviant, quia adhuc phyſicè concurrunt ad ſuos actus, & dant maiorem inteſionem; & perfectionem actui, quam eadem potentia, & ex æquali conatu actui ſuo dare non poſſet, Imò inquit Doctor *loc. cit. in 4.* habitum ſupernaturalem in hoc præſertim à naturali diſtingui, & acquiſito, quod hic ſolum datur ad ſic agendum, ideſt, facilius, & intenſius ille verò ad ſimpliciter agendum, ideſt, ſupernaturaliter, quatenus eſt principium, quo ſimpliciter poſſumus in actionem ſupernaturalem, & potentias noſtras conſtituit in actu primo ſupernaturali ad actiones ſupernaturales exercendas, quia univerſaliter loquendo in quocunque ordine agendi, ſive naturaliter, ſive ſupernaturaliter actus ſecundus præſupponit actum primum proportionatum, & actio ſupernaturalis præſupponit potentiam in actu primo ſupernarurali conſtitutam, ut modo connaturali agere dicatur.

Sed quamvis charitas, & aliæ virtutes per ſe infuſæ requirantur ſimpliciter ad actus ſuos, hoc eſt, itaut potentia non poſſit cum concurſu generali Dei illos actus producere ſine illis; non tamen hoc eſt ità intelligendum, quaſi nec de potentia abſoluta poſſint haberi illarum actus ſine illis, aut alio intrinſeco principio potentiæ inhærente, à quo producantur, ut opinantur Thomiſtæ. Ratio eſt, quia nec habitus ſupernaturalis, nec aliud quodcumque principium intrinſecum requiritur ad actum ſupernaturalem, niſi in genere cauſæ efficientis ſive totalis, ſive partialis. Sed poteſt Deus de potentia abſoluta omnem concurſum cauſæ effectivæ ſupplere, præſertim ſi non fuerit potentia vitalis; ergò poteſt tali ſpeciali modo concurrere cum potentia ad huiuſmodi actus producendos, ut ſuppleat, defectus habitus, & principii cuiuſcumque intrinſeci, ſivè permanentis, ſivè tranſeuntis, ut ſupra dictum eſt *q. 21.* in fine n. 562.

597 Quartò aliud diſcrimen adhuc ponunt Thomiſtæ inter virtutes infuſas, & acquiſitas, quod infuſæ concurrunt ad ſuos actus, ut cauſæ illorum adæquatæ, non ſic acquiſitæ; Fundamentum eorum eſt, quia voluntas v. g. nequit producere actum ſupernaturalem, niſi elevata per habitum, aut concurſum ſupplentem eius defectum; ergò tota ratio agendi ipſi eſt habitus, aut ille concurſus, & conſequenter non concurrit immediatè potentia ad illum actum, nec per modum cauſæ principalis, ſed tantum inſtrumentalis.

Confirmatur, quia potentia naturalis, & inferioris ordinis non poteſt virtute ſua propria attingere effectum ſuperioris ordinis, qualis eſt effectus ſupernaturalis; ergò ſi illum attingit, debet hoc eſſe mediante ratione agendi ſuperioris ordinis, quæ ſit ipſi potentiæ ratio agendi totalis, ſicut eſt calor aquæ ad calefaciendum. Denique nulla formalitas eſt in actu ſupernaturali, quæ non ſit ſupernaturalis, & conſequenter à principio ſupernaturali deſumi non debeat; ergò voluntas mediante virtute naturali nequit concurrere ad actum ſupernaturalem immediatè, & principaliter, quia omnis cauſa principalis, etiam partialis, debet habere aliquam formalitatem ſibi in effectu correſpondentem.

598 Cæterum habitus infuſos non ità adæquatè concurrere ad actus ſupernaturales, quaſi potentiæ vitales eorum productionem phyſicè non attingant per modum cauſæ partialis, non tantùm inſtrumentalis, ſed etiam principalis iam contrà Thomiſtas oſtendimus *lib. 1 diſp. 6. qu. 4. art. 3.* loquentes de lumine gloriæ; quod ibi probavimus, tùm ex Concil. Trid *ſeſſ. 6 c. 4.* ubi definit liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum non ſe habere merè paſſive, ſed agere, quod planè falſum eſſet, niſi effectivè concurreret ad eos actus ſupernaturale. Tùm ex teſtimonio Pauli 1. ad Cor. 15. *abundantius omnibus laboravi, non ego autem, ſed gratia Dei mecum*, quibus verbis expreſſius docere non poterat concurſum activum liberi arbitrii cum gratia in actum ſupernaturalem. Tùm tandem ratione, quia habitus charitatis in via, licet cum voluntate ad actum ſupernaturalem concurrat, tamen dici nequit ipſum ſolum eſſe integrū, & adæquatum agendi principium, quoniam actus ille eſt liber in via, atque adeò à voluntate proximè, & immediatè dependere debet, ſiquidem libertas non eſt circà receptionem; ſed circà actionem, itaut potentia operetur cum indifferentia ad agendum, & non agendum.

Neque fundamentum in oppoſitum urget; quando enim dicitur voluntatem non poſſe producere actum ſupernaturalem, niſi ut elevatam; ſenſus eſt, quod debet habere comprincipium ſupernaturale ſecum concurrens, ſine quo actum ſupernaturalem non attingeret, non verò quod illud comprincipium ſit ipſi tota ratio agendi, ſicut eſt calor aquæ ad calefaciendum; potentiam enim elevari aliud non eſt, quam adiuvari ad producendum effectum ſuperioris ordinis, nempè ſupernaturalem; Et quidem etiam in toto rigore loquendo, dici poteſt hoc modo potentia elevari, quamvis id, quo elevaretur, eſſet cauſa partialis, & ipſa potentia eſſet alia cauſa partialis immediatè, & phyſicè concurrens; per hoc enim adhuc ſalvatur, quod non poſſet effectum producere, ad quem producendum elevaretur, niſi ut elevata, hoc eſt, niſi haberet tale comprincipium ſupernaturale, Quare ex eo, quod non agat, niſi ut elevat, non benè deducitur, quod ipſamet non concur-



currit per virtutem ſuam propriam ad illum effectum partialiter, & immeditè.

599 Ad Confirmationem, probat ſolùm, quod potentia naturalis, & inferioris ordinis nequit propria virtute attingere effectum ſuperioris ordinis, tanquam cauſa totalis, & adæquata, non autem tanquam cauſa partialis, & inadæquata, neque enim ex hoc, quod ſic concurreret, ſequeretur effectum productum non eſſe ſuperioris ordinis, & ſupernaturalem, nam adhuc talis eſſet ex eo, quod requireret concurſum cauſæ partialis ſuperioris ordinis; quam ſolutionem fuſius explicatam, vide *diſp. 6. cit. qu. 4. n. 145.* Ad ultimum concedo nullam formalitatem eſſe in actu ſupernaturali, quæ non ſit ſupernaturalis, & conſequenter deſumi debeat à principio ſupernaturali; non tamen opus eſt, quod ab eo ſumatur, ut à cauſa totali productiva ipſius, ſed ſufficit, quod deſumatur ab eo, tanquam à cauſa partiali, ſine cujus concurſu non haberetur ſupernaturalitas in actu; & ſicut ſpecies, vel obiectum concurrens cum potentia vitali ad producendum actum vitalem dicitur etiam vitalitatem ipſam in actu attingere per modum cauſæ partialis minus principalis, licet ſpecies, vel obiectum non ſint principia vitalia, ut ait Doctor *1. diſp. 3. qu. 7.* infrà P. eo quod eſtò operatio vitalis eſſe nequeat à non vivo, ſicut à cauſa totali, poteſt tamen non vivum eſſe cauſa partialis alicujus vivi, vel effectus vitalis, ſicut Sol non vivus eſt cauſa partialis cum Patre ad generandum filium vivum; ità in propoſito principium non ſupernaturale (qualis eſt potentia) poteſt cum principio ſupernaturali concurrere ad effectum ſupernaturalem, & ipſam quoque ſupernaturalitatem phyſicè attingere per modum cauſæ partialis, & minus principalis in ordine ad ſupernaturalitatem, licet in ordine ad vitalitatem ſit cauſa partialis magis principalis; quàm reſponſionem fuſius explicatam, vide *diſp. 6. cit. qu. 4. nu. 147.* Ex quibus patet concurſum potentiæ ad actus ſupernaturales eſſe omninò principalem æquè benè, ac concurſum habitus infuſi, & nullam eſſe rationem, ob quam dicatur eſſe inſtrumentalis tantùm, niſi abutendo verbis, & reducendo rem ad puram de nomine quæſtionem.

600 Quintò ſolent Charitas infuſa, & acquiſita diſtingui per ordinem ad obiecta formalia; undè dicunt Deum eſſe obiectum charitatis ſupernaturalis, prout eſt auctor rerum, ſeù donorum ſupernaturalium; Charitatis autem acquiſitæ quatenus eſt auctor naturalium, quo pacto etiam diſtinguunt fidem, & ſpem infuſam ab acquiſitis ſervata proportione; Fundamentum eſt, quia virtus ſupernaturalis reſpicit obiectum ſub ratione ſupernaturalis; & naturalis, vel acquiſita reſpicit illud ſub ratione naturalis; ergo eſt diverſitas ex parte obiecti formalis inter utramque. Tùm quia alioquin ſequeretur virtutes per ſe infuſas eſſe omninò ſuperfluas, ſi enim naturales poſſent in eadem obiecta tendere; in quæ illæ tendunt, & ſub eadem ratione formali, ad quid deſerviunt ſupernaturales?

601 Sed hoc quoque diſcrimen nullum eſt, jam enim oſtendimus ſupra in hac ipſa *diſp. qu. 7.* actus, & habitus naturales, & ſupernaturales non neceſſariò diſtingui ex obiecto formali, & motivo; itaut ex diverſitate aliqua quam habeant virtutum infuſarum obiecta ab obiectis acqqiſitarum poſſit aliquis cognoſcere quod ſint diverſæ ſpeciei ab acquiſitis; Quod ex Scoto deduximus *3. diſt 27. qu. un. art. 2.* ubi docet dilectionem Charitatis, qua Deus propter ſe diligitur, ſivè ſit naturalis, ſive ſupernaturalis, habere idem obiectum formale, ſcilicet, bonitatem Dei, qua in ſe bonus eſt; & probavimus ratione à poſteriori, quia ſi virtus acquiſita non poſſet tendere in idem obiectum motivum, & terminativum, in quod tendit infuſa, poſſet quis cognoſcere, quandonam exerceat actus ſupernatureles, & ſic certus eſſe poſſet, nedùm de ſua fide infuſa, ſed etiam de Charitate, & gratia ſanctificante, quæ ſemper confertur homini elicienti actum ſupernaturalem dilectionis Dei ſuper omnia, quod eſt abſurdum, *qu. 7. cit.* proſequor *n. 216.* Deindè idem probo ratione à priori *ibid. n. 220.* deducta ex Scoto *3. diſt. 14. qu. 1. ad 2.* docente, quod eſtò diſtinctio obiectorum ſemper concluderet diſtinctionem actuum, & habituum, non tamen unitas obiecti ſpecifica ſemper concludit unitatem actus, aut potentiæ, vel habitus, quia diverſæ ſpecie potentiæ diverſis ſpecie actibus poſſunt circa idem obiectum verſari, nedum materiale, ſed etiam formale; undè Philoſop. 2. de an. appoſitè dixit, quod actus, & habitus à diverſitate obiectorum trahunt diſtinctionem, non tamen ab unitate obiecti unitatem.

Nec fundamentum in oppoſitum urget, nam in eadem *quæſt. 7. nu. 225.* oſtendi, quo ſenſu intelligendum ſit, quod communiter dicitur, virtutem naturale obiectum reſpicere ſub ratione naturalis. Et *num. 226.* explanatur ad quid adhuc virtutes ſupernaturales, & infuſæ deſerviant, non enim deſerviunt præcisè, ut potentia queat attingerę illa obiecta, & ſub eadem formali ratione utcunque, ſed ut attingat illa perfectioribus actibus, hoc eſt ſupernaturalibus, qui ex natura ſua ſunt longè perfectiores naturalibus, quia proportionem habent cum fine ſupernaturali, ad quem ordinantur, qua proportione carent naturales, ut ibi explicatur.

602 Sextò itaque ex dictis colligitur, verum, & proprium diſcrimen virtutis infuſæ, & acquiſitæ aſſignandum eſſe non per ordinem ad obiecta, ſed per ordinem ad ipſos actus, & modum attingendi obiectum; Quia nimirum virtus infuſa ex propria ratione eſt elicitiva actus ſupernaturalis, tanquam auxilium elevans, & adiuvans ipſam potentiam ad actum, ad quem ejus vires naturales erant ſimpliciter inſufficientes, & improportionatæ; Qua ratione virtus infuſa dicitur eſſe in ſua ſubſtantia ſupernaturalis, quatenus ſuperat naturæ exigentiam, nec apta eſt actibus noſtris generari, ſed petit à Deo immediatè infundi, & effici, ut benè notavit Averſa *qu. 55. ſect. 10.* Virtus verò acquiſita eſt facilitas potentiæ ad hoc, ut promptius hoc actus eliciat, ſive naturales, ſive etiam ſupernaturales. Neque abſurdum eſt habitum naturalem concurrere ad actus ſupernaturales dummodò potentia ſupponatur antecedenter elevata per auxilium ſupernaturale ad tales actus eliciendos; dùm enim potentia elevatur per habitum infuſum, eo ipſo coniunctim elevatur cum tota facilitate, & habitu acquiſito; & habitus ipſe acquiſitus præſtat, ut potentia cum habitu infuſo promptè eliciat actum ſupernaturalem.

## QUÆSTIO VIGESIMAQUARTA.

*An actus Charitatis via ſit eiuſdem rationis ſpecifica cum actu Charitatis Patria.*

603 INſtituitur quæſtio de actu charitatis duntaxat, nam de habitu concedunt paſſim Theologi illum & ſpecie, & numero eſſe eundem in paria, qui fuit in via, ut docet Scotus *3. diſt. 31. q. unic.* quod deducunt ex illo Pauli ad Cor. 13. *Charitas nunquam excidit* quod cùm intelligi nequeat in hac vita, ubi frequenter per peccatum mortale excidit, intelligi debet, quod nunquam excidat in alia, ſi uſque ad mortem illa cum homine perſeveret; undè etiam intelligi debet de habitu charitatis, quem habuit ultimò Viator in hac vita, & in articulo mortis; nam qui per peccatum amittitur, non reviviſcit idem numero, & per conſequens non erit idem numero habitus charitatis in patria, qui ſemper fuit in via, ſed ſolus ille, qui fuit ultimò in via, hoc eſt, in ſupremo mortis articulo. Hoc idem probat Doctor ratione *diſp. 31. cit. §. viſo de fide & ſpe*; charitas namque eſt amicitia Dei in ſe, unde quemadmodum eadem amicitia amamus amicum præſentem; vel abſentem, ſic charitas eſt amor, quo amatur Deus, ut in ſe bonus indifferenter ad præſentiam, vel abſentiam obiecti amati. Potuit quidem Deus (inquit Doctor) dare duos habitus ſpecie diſtinctos, unum, quo amaretur Deus, ut abſens in via; alterum, quo amaretur, ut præſens per claram viſionem in patria; ſed Deo non ità placuit juxtà ſtatutam legem, ſed charitatem unam dedit non determinatam ad præſentiam, vel abſentiam propter indifferentiam dilectionis, quæ ex ſui natura non reſpicit determinatè iſtas conditiones præſentiæ, vel abſentiæ, ut reſpiciunt actus fidei, & ſpei, ſed cum hac, vel illa ſtare poteſt, & ideò habitus charitatis, quem habemus in via, manebit quoque in patria, quia erit ibi actus, ad quem inclinat, ſcilicet, ad diligendum Deum in ſe.

604 Reſtat itaque ſola controverſia de actu ipſo charitatis, an ſit ejuſdem ſpeciei cum actu charitatis patriæ, in qua duæ ſunt oppoſitæ ſententiæ; Prima eſt affirmativa aſſerens eos actus eſſe ejuſdem rationis ſpecificæ, ſolùmque accidentaliter differre, ſicut imperfectum, & perfectum intrà eandem ſpeciem, ſolùmque in intenſione aliquam habere diverſitatem, ità Thomiſtæ paſſim *2. 2. qu. 24.* Bannes, Medina, Vaſquez, Suarez, Torres, Tannerus, Caſpenſis, & alii Recentiores; Imò quidam affirmant non tantùm eos eſſe ejuſdem rationis ſpecificæ, ſed etiam eſſe poſſe eiuſdem rationis numericæ; cùm poſſit idem actus numero in via inchoatus ſine interruptione in Patria continuari; Undè Suarez *diſp. 3.* de Charitate *ſect. 3.* ut probabiliſſimum docet de facto amoris actum, quo B. Virgo in Deum in hac vita ferebatur, per mortem non fuiſſe interruptum, ſed illum eundem numero in Patria continuaſſe, licet neceſſario, & perfectius. Oppoſita ſententia docet eos eſſe diverſæ ſpeciei, ita Scot. *3. diſt. 31. cit. & 4. diſt. 49. qu. 5. E.* cum omnibus Scotiſtis, & ſequuntur aliqui ex Thomiſtis ut Caietanus, Capreolus, & Ferrarienſis, & ex Recentioribus Coninch. Amicus, Arriaga, & alii.